



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censbris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvæstio XIII. De Potentiâ Animæ Christi. In quatuor Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

*Hanc esse Patris voluntatem, Angelorum desiderium, hominum extremam necessitatem; denique gloriam & celebritatem quam ipse sua passione esset confecuturus. Credibile tamen est Dominum*

*hanc consolationem non admisisse: nam factus in agonia, prolixius orabat. Hanc expositionem insinuat D. Hieronymus Dial. 2. contra Pelagium, Et Hilarius lib. 10. de Trinit.*

## QVÆSTIO XIII.

### De Potentia Anima Christi.

*In Quatuor Articulos divisa.*

#### ARTICVLVS I.

*Vtrum Anima Christi habuerit  
Omnipotentiam simpliciter?*

**R**espôndetur Negatiuè; Anima Christi non fuit absolutè omnipotens. Ratio est, Quia omnipotencia sequitur quoddam esse, quod absolute est infinitum: atque esse absolute infinitum, nulli creaturæ potest communicari: ergo nec omnipotentia. Confirmatur; Quia potentia activa sequitur formam: ergo potentia activa infinita sequitur formam infinitam. Adde; Animam Christi in omnibus actionibus suis pendere à concursu diuino; dependere autem à cooperatione alterius, repugnat omnipotentie: nam hæc per se omnia potest.

Aduerte; Has Rationes dumtaxat probare illum Animag non fuisse naturâ suâ, aut dono aliquo creato omnipotentem; non autem per uniuersam hypostaticam diuinæ potentie.

#### ARTICVLVS II.

*Vtrum Anima Christi habuerit  
Omnipotentiam respectu muta-  
tionis Creaturarum?*

**R**espôndetur Tribus Conclusionibus. Prima; Anima Christi secundum propriam virtutem naturalem, vel gratuitam, habuit potentiam ad omnes illos effectus, qui animæ sunt conuenientes: ut ad corporis perfectam gubernationem, ad omnes actus humanos naturales & supernaturales; denique ad illuminandum omnes creature rationales. Quod intellige, eo modo, quo superiores Angeli illuminant inferiores; scilicet per locutionem spiritalem seu obiecti propoſitionem; non autem per luminis infusionem. Nam lumen infundere, non est actio conueniens conditioni creature rationalis. Potest tamen Anima Christi lumen infundere diuinâ virtute. Idem dicendum est de speciebus intelligibilibus ordinis supernaturalis.

Secunda Conclusio; Anima, ut est instrumentum Verbi, habuit virtutem instrumentariam ad omnes mutationes miraculas, ordinabiles in finem Incarnationis; qui est, instaurare omnia quæ in celo, & quæ in terra sunt.

Tertia; Non habuit tamen potentiam instrumentalem annihilandi; nam annihilatione responsabile ab mutatione.

det creationi: at solius Dei est creare: ergo & annihilare. Hinc D. Thomas infert Christum non habuisse Omnipotentiam respectu immutacionis creaturarum.

#### D V B I V M I.

*Quidnam sit visilla quâ Christus operatus  
est Miracula?*

**R**espondeo & Dico Primo, Vis illa non erat aliqua qualitas creata inherens humanitati Christi, quæ miracula tamquam causa principalis seu commensurata efficerit. Est communior sententia Doctorum in 3. dist. 13. Et in 4. dist. 1.

Probatur; Quia vel illa virtus est vna quædam qualitas & forma, ad omnium miraculorum patrationem se extendens; sicut Solis virtus se extendit ad omnium generationē: vel est multiplex, pro diversitate operum mirandorum. Si <sup>3</sup> si est hoc vna, illa deberet absolute esse infinita, non solum intentione, sed etiam essentialiter, & in ratione intensis; nam haberet vim connaturalem ad infinitam operum diversitatem, quorum pleraque scor- sim vim infinitam requirunt: atque talis esse nequit; vt per se patet: ex quaeritur enim diuina omnipotentia. Sed neque hæc qualitas potest esse pro diversitate operum multiplex; quia est forte ad plex, esse quædam opera, quæ nunc censemur miracula, cō apta, quod viribus naturæ, quæ nunc existit, fieri nequeant; vt ad curationem morborum lethalium, ad productionem vitæ in mille annos, ad illuminationem ceci, & similia; et si, inquam, possit per absolutam Dei potentiam virtus creata effectrix horum institui; sicut lignum vita habebat vim naturalem ad vitam multis millibus annorum propagandam: tamen hæc non poterit ita operari, sicut Christus fecit miracula: v.g. in momento, non obstante quævis resistentiæ creature, ad quodlibus interuallum, ad natum voluntatis &c. Deinde multa sunt quæ vi creatæ nullo modo perfici queunt. Quia enim vis efficiat vt ynum corpus sit in duobus locis, vel duo corpora in eodem loco; vel vt vna res tota conuertatur in aliam; vel vt substantia habeat modum existendi spirituum; & similia? Et ratio est; Quia hæc opera non sunt res aliquæ supernaturales productæ, sed consistunt in quodam supernaturali modo; cuius causa non potest esse aliqua virtus creata: actiones enim quibus illa opera fiunt, non tendunt ad communicandam certam formam, sicut actio qualitatis creata: sed solum modum quendam in rebus constitutum, qui omnem conditio- nem nature creatae excedit. Vnde non potest concipi

*Tres Conclusiones.  
Habuit  
potentiam  
ad Effectus  
omnes ani-  
mae conve-  
nientes.*

*Item ad  
mutationes  
miraculo-  
ris.*

*Excepit Ab  
abilitate,  
item.*

concipi aliqua vis creata, quæ ad hæc efficienda inclinet.

Dices; Saltem respectu gratiæ, & aliquorū habituum supernaturālium, poterit dari vis productiua creata.

*Nulla vis  
creata po-  
test esse  
productiua  
Graziæ.*

Respondeo; Satis certum est, de facto in Christi humanitate talem vim non esse: nam Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 7. soli Deo hoc tribuit, cùm ait, *Causam efficientem nostræ iustificationis esse Deum, qui gratuitè abiit & sanctificat nos signans & virgens spiritu promissionis sancto.* Quod intellige, de causa efficiente, quæ vi intrinsecæ, & effectui proportionatæ, operatur. Idem docet D. Thomas quest. 112. art. 1. ad 1. & 2. Et Theologi passim in 4. dist. 1. Et Andreas Vega lib. 7. in Tridentinum cap. 4. 10. 11. 12. 13. Sed neque talis vis videtur possibilis. Quia neque est ipsa gratia; cùm hæc non sit productiua sui similis, sicut calor caloris, & lumen luminis: habitus enim tantum sunt productiui actuum per actionem immanentem, nec habent actionem transuentem. in aliud subiectum. Neque est alia vis perfectior quæ hoc possit: nam summa participatio diuinæ perfectio- nis, est gratia, & dona illi connexa.

*Varijs mo-  
dis concur-  
rit Christi-  
sus ad pro-  
ductionem  
Graziæ.  
Primò.*

Secundò.

Tertiò.

Quarto.

Quinto.

*Dicitur hu-  
manitas  
cooperata  
ad mira-  
cula.*

Dices; Christus homo est causa gratiæ, vt primum principium per se gratum; & vt exemplar omnis nostræ iustitiae: ergo vt causa principalis habens in se vim proportionatam.

Respondeo; Ad productionem gratiæ, & donorum spiritualium in nobis, Christum concurrens suâ humanitate varijs modis. Primò, In genere cause finalis; nam ipse est finis nostræ iustificationis, vt docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. cùm ait, *Finem nostræ iustificationis esse gloriam Dei & Christi.* Sed hac ratione non est causa efficiens, sed finis secundarius. Secundò, Per modum cause exemplaris, quatenus habet in se excellētissima gratia dona; ad quorum imitationem, nobis quoque gratia conferunt: quia Deus per gratiam, quam nobis confert, intendit nos Christo assimilare, iuxta illud ad Rom. 8. v. 29: *Quos presecessit, & predestinavit conformes fieri imaginis Filiij sui.* Et hie modus cause, potest vel ad efficiētē, vel ad formalem causam deduci. Tertiò, Per modum merentis; vt infra ostenderetur: & sic est causa principalis in hoc genere, in dī & prima in illo ordine causarum; tum, quia eius meritum non pendet ab alio merente, & omnia aliorum hominum merita pendent à merito ipsis: tum, quia meritum ipsius tantum valet, quantum omnia dona gratia qua nobis conferuntur, & multò amplius. Quarto, Potest intelligi concurrere per modum applicantis, sicut voluntas applicat vim motiua & executiua ad opus: de quo modo statim dicemus. Quintò, Potest concepi concurrens per modum causa physice directe influentis. Et sic negamus ipsius humanitatē posse esse causam principalem gratiæ.

Dico Secundo, Hæc virtus miraculorum nihil est aliud in Christo, quā potestas diuina hypostaticè unita naturæ humanæ, cīque tamquam intrinseca quadam facultas, assistens ad omnia opera miraculosa fini Incarnationis consentanea. Est communis Doctorum, maximè si loquamur de virtute principali seu proportionatā.

Probatur; Quia cùm nulla possit dari vis creata, quæ sit causa proportionata efficiendis miraculis; necesse est configurare ad virtutem Dei in-

creatam, assistentem & humanitati insidentem. Quod confirmatur, & simul explicatur: Nam sicut Deus, cùm rei dat naturam, ei se applicat, & quodammodo vnit, vt possit operari opera naturalia; & cùm dat gratiam, assistit per auxilium supernaturale, vt homo possit operari opera meritoria: ita vniendo se hypostaticè humanitati Christi, ei se applicat, & continententer astitit, vt possit operari omnia opera miraculosa omnem naturæ potestatem superantia, quæ quidem ad finem Incarnationis sint oportuna.

Vbi Notandum est, Sicut vis motiua naturalis in homine, ita subest voluntati quo ad vsum & executionem, vt voluntas possit eam ad opus applicare quoties lubet; adeo vt hoc ipso, quo voluntas vult, illa vis operetur: ita in Christo, potentia diuina sic se applicat, & accommodat voluntati humanae, vt quodammodo ei, quo ad vsum sit subiecta (sicut quodammodo subest voluntati nostræ quo ad concursum generalem) adeo vt voluntas Christi possit illam applicare ad opera supernaturalia, perinde ac si esset facultas quædam naturalis.

Quod Confirmatur Matth. vlt. v. 18. Data est mihi omnis potestas in celo & in terra. Vbi non tantum significatur omnipotentiam diuinam esse ipsi hypostaticè unitam; sed esse ita unitam, vt posset eam & cam applicare ad omne opus in celo vel in terra patrandum, ad hominum salutem, & Celestium consummationem. Ad Philip. 2. v. 10. Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine I E S V, omne genu flectatur: &c. id est, vt eius potestati omnia sint perfectè subiecta. Apocalip. 5. v. 12. *Dignus est Agnus accipere virtutem, & diuinitatem, & fortitudinem.*

Idem potest confirmari ex Patribus, qui docēt Christum fecisse miracula ex potestate. Vide Chrysostomum hom. 26. in Matth. Et August. li. 22. de ciuitate c. 9. & 10. Nec quisquam potest hoc negare, qui facetur illum hominem, omni momento, in potestate suæ voluntatis habuisse operari miracula. Hoc enim non potest intelligi, nisi ponamus vsum potentiae diuinae fusse in potestate voluntatis humanae. Et ratio est; Quia hoc debitus erat illi humanitati: tum, quia potentia diuina illi nature erat substantialiter unita; ac proinde applicatio illius potentiæ & vsum debebat esse in potestate voluntatis humanae, saltem ad opera illa, quæ fini Incarnationis congruebant; id est, quæ erant oportuna ad instaurationem omnium, quæ in Celo & quæ in terra sunt: tum, quia illa natura constituta erat. *Caput totius vniuersi;* ac proinde debebat habere potestatem influendi in omnes creaturas, vt dictum est q. 8.

## D V B I V M II.

*Quemodo natura humana ad Miracula sit cooperata?*

R Espondeo & Dico Primo, Humana natura cooperata est ad miracula, per modum causa effectiū applicantis & determinantis vim efficiendi ad opus.

Sequitur Ex dictis; Nam in potestate voluntatis humanae erat applicare, & quodammodo determinare diuinam virtutem ad opus; eò quod hæc voluntas, esset voluntas diuina Personæ, & dinimam Capitis

Capitis omnium: quidquid enim Persona diuina vult, etiam per voluntatem humanam; statim debet fieri per potentiam accommodatae eiusdem Personae. Quod confirmatur ex modo, quo Christus miracula fecit, scilicet imperando. Matt. 8. v. 26. Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. In quem locum vide Hieron. Item ibidem v. 2. & Luc. 5. v. 12. Domine, si vis, potes me mandare. At ille ait: Volo mandare. In quem locum vide Chrysostomum. Luc. 7. v. 15. Adolescens, tibi dico surge. Ioan. 11. v. 43. Lazarus veni foras. Ex quibus modis loquendipatet eum potuisse applicare & vi potestate diuinam, quatenus erat homo, perinde ac si creata & in hærens fuisset. Vnde Cyrillus epist. ad Monachos Aegypti: Apparuit, inquit, Christus aëlesti potestate & auctoritate instrutus; & id sic loquitur.

Nulli autem Sanctorum id concessum, ita ut im mediatae & ex auctoritate, quoties liberet, diuinam virtutem vti posset; sed plerumque oratio, salte interior debebat interuenire. Vide August. l. 22. de Ciuit. c. 9. & 10. Quod si aliquando ex potestate visi sunt facere miracula, credibile est semper antecessisse singularem inspirationem vt facerent; & ita non propriè ex auctoritate faciebant. Christus autem ita hac potestate vtebatur, ac si naturalis humane naturæ fuisset.

Aduerte tamen, Voluntatem humanam, non sic applicuisse diuinam virtutem ad opus, quasi aliquem in illam influxum habuerit; cùm nec in naturalem potentiam aliquid influat: neque quod naturali necessitate illa tunc determinata fuerit; sicut fit in nobis: quia potentia diuina non est naturaliter subiecta humanæ voluntati, sicut potentiae animæ voluntati subiectiuntur; sed quia necessitate suppositionis determinata fuit ad opus, humanam voluntate volente. Quæ suppositione erat duplex, vno videlicet hypothistica, & ordinatio diuinæ circa Christum, vt erat Caput vniuersi. Ex utroque enim proueniebat, vt humanam voluntate absolute aliquid volente, necesse esset diuinam potentiam applicari ad opus.

Dico Secundum, Humana natura in Christo, præfertim ratione actionum externarum, etiā cooperata fuit ad miracula per modū instrumenti Persona Verbi seu diuinitatis. Ita D. Tho. hoc loco & multi Patres, qui humanitatem vocant instrumentum Diuinitatis. Dico, Præfertim ratione externarum actionum, quia quando nihil externum interuenit, sed sola voluntate perficitur miraculum, nō solet humanitas à Patribus dici instrumentum: quamvis D. Thomas hoc non refutat.

Probatur simili & explicatur: Quia id recte vocatur instrumentum, quod ex se vim nullā habet, nisi quod deferat & quodammodo formaliter applicet vim principalis agentis. Sicut emplastrum defert & explicat vim medicamentorum; penicillus artem pictoris, seu artificiosum eius motum: atque hoc modo humanitas, cuiusque actiones, præfertim externæ, deferunt & applicant vim diuinam intimam ipsis insidentem & vnitam: ergo operatur tamquam instrumentum diuinitatis. Minor Probatur: Quia cùm Dominus sanabat contactu, virtus diuina insidens manui, applicabat corpori alterius ad sanandum: quando sanabat imperio, vox eius, quæ erat vox Verbi diuinæ, applicabat diuinam virtutem ad opus: & ita hec erat instrumenta, per quæ ipsum Verbum operabatur: nam per hanc, eius diuina virtus quodammodo deferebatur & applicabatur.

*Sanctorum  
miracula  
non fuerūt  
auctorita-  
tine per-  
petrata.*

*Vis diuina  
erat ex  
suppositio-  
ne decer-  
minata ad  
opus.*

*8  
Ita coope-  
rata est Vi-  
ta in stru-  
mentum Verbi.*

*Instru-  
mentum quid.*

Dicitur; Virtus diuina est ubique: ergo non poterat deferri & applicari. Respondeo, Non erat ubique, sicut in omni re substantialiter unita; nec determinata ad opus tale: sed solū in Christo, eiusque sacris actionibus. Sicut si diuina virtus ita afflisteret alicui cruci, vt quæcumque illa Crux contingaret, illo mox diuinam virtutem intrinsecus latente sanaretur; recte diceretur ea deferri & applicari per Crucem, & crux esset instrumentum conferendæ sanitatis. Ita multò magis Caro Christi, cui substantialiter est unita diuinitas, erit instrumentum sanitatis, deferens & applicans virtutem diuinam. Adde, Si virtus diuina non esset ubique, tamen haec applicatio est eius conditionis, vt eam re ipsa deferret & applicaret. Vnde quod non fiat localis delatio, non est ex conditione actionis instrumenti; sed ex immensitate diuinæ substantię.

Hic tamen adverte: Quando dicimus naturam humanam esse instrumentum diuinitatis, tunc Persona Verbi considerata vt subsistens in natura diuina, habet se vt operans; virtus diuina, vt id, quo operatur; natura autem humana, vt instrumentum Verbi, mediante quo, ipsius virtus applicatur. Quando autem dicimus naturam humanam esse causam effectivæ applicantem, tunc Christus vt subsistens in natura humana, consideratur vt operans, seu applicans per voluntatem humanam; virtus autem diuina, seu virtus Verbi, consideratur vt id, quo operatur. Etsi enim in Christo sit unica persona, tamen haec virtute est duplex propter duas naturas: & ita utramque ratione potest ei attribui operatio, tamquam principio, quod operatur.

### D V B I V M III.

*Vtrum humanitas Christi præter hos modos ope-  
randi, habuerit aliquem immediatum influxum  
supernaturale, in opus miraculosum?*

Quidam Recentiores affirmant; & idcirco volunt humanitatem vocari instrumentum diuinitatis. Sed variè explicant. Plerique enim ex illis putant humanitati, eiusque actionibus, tunc imprimi motum quendam supernaturale, & quasi artificiosum; quem vocant vim instrumenti, & in miraculæ instrumentarianam; & vi huius motionis ipsam la per mo- agere. Sicut penicillo imprimit motus artifi- dium in ciosus à pictore, quo penicillus pingit. Ita Dominicus Soto, & multi Thomistæ adducti qui busdam testimonios D. Thomæ.

Sed Hoc ab alijs rejicitur; Non enim explicant Rejicitur. quid sit hic motus, aut quam vim habeat. Exemplum etiā illud de penicillo, & alijs instrumentis artis, parum ad rem facit. Omnia enim instrumenta artis, solum efficiunt immediatè motum localē, per eum aliquid addendo, vel detrahendo, vel collisione sonum excitando. Penicillus enim defert & imprimit colores, motus à Pictore. Serra secat ligna detractis minutis regementis. Cithara sonum excitat collisione neruorum cum aere. Ad hæc autem nullā opus est elevazione supra naturalem modum operandi, sed tantummodo motione locali; nam scipsa mouere nequeunt: quā motione in illis recepta, sunt iam causæ principales habentes vim proportionatam effectu. Deinde, sicut non potest, quæ sit in illa motio impresa voci, aut rei corporeæ, quæ vim habeat

Hh produc-

producendi gratiam, aut ponendi unum corpus in duobus locis, & similia. Si enim nulla datur qualitas, aut vis permanens creata, quæ id praestare posset, multò minus motio transiens id potest; præsertim cùm motio nihil sit aliud quām terminus ipse ut est in fieri. Itaque est vel substantia, vel quantitas, vel qualitas: nam suppono non esse motum localem.

10  
Alij volunt  
Humani-  
tatem se  
habere per  
modum  
Potentia  
obedientia-  
lis actiua.

Rejicitur  
sex ratio-  
nibus.  
1. Authori-  
tatem Anti-  
quorum  
DD.

2. Non da-  
tur Poten-  
tia obedi-  
entialis acti-  
ua.

3. Non est  
necessarius  
talis ope-  
randi mo-  
dus,

Vnde alij dicunt nihil imprimi humanæ nature, aut ipsis actionibus, ut sunt instrumenta; sed Dicū concurrens singulari modo cū potentiam obedientialem ipsorum: omne enim ens habere potentiam obedientialem actiua, ad efficiendū quidquid Deus per eam fieri voluerit: sicut habet potentiam passiuam ad recipiendum quidquid non implicat contradictionem: & hanc potentiam obedientialem, vocant virtutem miraculorum; eiisque accommodant aliqua testimonia Patrum & Scripturarum.

Hæc sententia est probabilis: tamen valde dubito an sit vera. Primo, Quia Doctores antiqui contrarium tenent, & consentiunt hunc modum esse impossibilem. Ita Bonaventura, Richardus, Gabriel in 3.d.13. & Duran. d.14 & optimè Scotus in 4.d.1.vbi etiam Duran, Bonau, & alij. Idem tenet Alexan. Alensis, 3.p.q.13.mem. 3. & Guilielmus Altisiod. in 3. p. summa tract. 1. c. 4. Idem tenet omnes Nominales, & ferè omnes Thomistæ.

Secundo, Quia hæc sententia presupponit rem omnem, per suam nudam entitatē, habere potentiam obedientialem actiua ad efficiendū quidquid. Hoc autem non videtur verū: Tum, quia non est in re quavis potentia obedientialis passiuam ad recipiendum quidquid; vt ipsis fatentur; non enim potest sonus dealbari, aut calefieri; &c: ergo multò minus est potentia actiua ad efficiendum quidquid, quæ maiorem requirit perfectionem, cùm intime in effectum influat ac penetret: Tum, quia debet esse aliqua proportio inter potentiam actiua & effectum, vt possit eleuari ad illius productionem; sicut inter intellectum creatum & visionem Dei: hinc enim fit, vt intellectus possit eleuari ad visionem Dei; non autem oculus corporeus, qui caret hac proportione: at nulla est proportio vocis humanæ ad excitandum mortuum, ad infundendam gratiam, ad Christi corpus colloquandum diuersis locis sub diuersis speciebus panis; &c. Tum, quia potentia obedientialis, nihil videtur esse aliud, quam vis quedam agendi, sed inchoata & imperfecta, quæ nullius virtutis naturalis accessione possit compleri: at talis vis inchoata non videtur esse in omni re ad quidquid. Vnde ut hæc opinio possit sustineri, concedenda videtur vis quedam inchoata in multis instrumentis, quæ ipsis diuinis imprimatur prius naturā quām Deus cum ipsis concurrat ad effectum: quia implicat instrumentum effectuē concurrere ad effectum, & tamen nullam vim intrinsecam habere, saltem inchoatam; omnis enim efficientia est ab aliqua vi agendi, saltem imperfecta.

Tertio, Deus non operatur modo miraculo sine necessitate, vel evidenti utilitate. At hic modulus operandi est summe mirabilis, nullam habens necessitatem, aut euidentem utilitatem: tum, quia sine illo modo optimè fit opus; tum, quia ille modulus operandi ita est occultus, vt nemo hominum possit illum deprehendere; imo nec quisquam Angelorum. Nulla enim in instrumento fit mutatio iuxta illos, sed eodem modo se habet ante & post

operationem. Quæ ergo utilitas tanti miraculi?

Quarto, Iuxta hanc sententia, quando Christus <sup>4. Quia</sup> per vocē operabatur, debebat tota actio fieri per <sup>operaria</sup> vltimam syllabam, imo per terminum vltimę syllabę; quod videtur fictitium: sic enim sola ultima syllaba fuisse instrumentum. Idem argumentum <sup>causa non habent propriam influxum</sup> locum habet in nostris Sacramentis.

Quinto, Aliquando tres vel quatuor tales causæ <sup>5. Quia</sup> instrumentales concurrunt ad eundem effectum; plures causæ non habent propriam influxum, v.g. humanitas Christi, Sacerdos, materia & forma Sacramenti: ergo non habebunt proprium influxum. Patet Consequens; Quia vel habent eundem; & sic ceteræ sunt superflue præter vnam: vel habent diuersas quasi partiales; & sic eò minor deberet esse influxus singulorum, quod plures tales causa concurrunt; vt patet dum multi trahunt vnam nauim.

Sexto, Ipsa humanitas Christi vtebatur voce, <sup>6. Ipsa bu-</sup> tactu, & ipsis Sacramentis: ergo si influxum dabat <sup>manus</sup> realem & immediatum in opus, poterat ipsa eleuare <sup>potuisse</sup> instrumentum, & vt potentiæ obedientiali: quod <sup>eleuare</sup> tamen soli Deo proprium esse dicunt; sicut & præ- <sup>quiduis ad</sup> quidem, tamen debet esse influxus singulorum, qui per nullam causam creatam possit suppleri.

Sed cōtra obiectum Primo, Ex Scripturis. Luc. <sup>II</sup> 6.v.19. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et c.8. <sup>1. Obiectum ex Script.</sup> v.46. Ego noui virtutem de me exisse. Ioan. I. v.16. De plenitudine eius omnes accepimus. Respondeo, Concedo in humanitate Christi fuisse virtutem <sup>Soluitur.</sup> sanandi: sed hæc erat virtus increata, illi substantialiter vnta, quæ exibat per energiam & operationem. Ad illud Ioan. I. Etiam Patriarchæ & Prophetæ de plenitudine eius accepérunt; quia gratiam ex eius meritis accepérunt: quæ merita vim habebant ex eius plenitudine.

Obiectum Secundo, Ex Concilijs: Concilium Ephesinum can. 11. dicit Carnem Christi esse viuificatricem. & in VI. Synodo act. 11. dicitur Verbum per carnem efficere opera, que erant diuinitatis indica. Respondeo, Concilium Ephesinum non loquitur de Potentiæ obedientiali actiua, quæ non est res certa; sed de eo quod fide notum est. Dicit enim anathema ijs, qui negant Christi carnem esse viuificatricem; & aperte insinuat vim illam viuificantem, esse vim Verbi hypostatici vnti carni: vt patet ex toto canone. Huc pertinet illud Ioan. 6. v. 63. Spiritus est qui viuificant, caro non prodest quidquid. Vbi insinuantur totam vim seu potentiam viuificanti conuenire carni, ratione diuinitatis; nullam autem partem ictius potentiae ipsi inesse secundū se. Alter locus ex VI. Synodo non habet difficultatem; caro enim erat instrumentum quo latens diuinitas applicabatur. Vnde miraculum erat figura occulta diuinitatis. Sicut curatio vulneris, est signum latentis virtutis in Cataplasmate.

Obiectum Tertio, Ex Patribus. Primo, Dionys. Areopagita epist. 4. sub finem, Actiones miraculosas Christi vocat θαύματα; quasi dicat, Dei-virias, vel Dei-viriles: quia Verbum per humanitatem tamquam per instrumentum, illas efficiebat.

Respondeo Primo, Fatemur humanitatem esse instrumentum Verbi, sed modo suprà n.8. explicato. Secundò, Nō solū miraculosas Christi operatio, sed omnis etiam alia, quam per humanitatem cur Christi obibat, vocatur θαύματα à Dionysio, quia erat operatio Dei & humani; vt exponit Damas. lib. 3. c. 19. Quod si ideo diceretur θαύματα, quia diuinitas miraculosè cooperatur; etiam Sanctorum operatio-

operationes miraculose, essent ~~deus p[ro]p[ri]a~~: quod abhorret mente Dionysij. Addit. Damascenus etiam aliā causam, cur actiones Christi vocentur *Savp[er] xai*; nempe quia actiones naturę humānę in Christo, sunt cum communicatione actionis diuinę & contraria. Nam operatio humanitatis fiebat ex voluntate diuina, & habebat vim salutiferam à diuinitate: similiiter operationes diuinitatis quibus faciebat miracula, fiebant ministerio corporis, tamen ut actio virtusque naturę esset distincta, nec in vnam confundetur, vt Damascenus notat. Illi autem volunt actiones diuinitatis & humanitatis coalescere in vnam actionem simplicem, quae terminatur ad opus miraculosum; quod est contra Dionysium & Damascenum.

Cyrillus.

Deinde obiecunt, Cyrillū lib. 4. in Ioan. c. 14. vbi dicit; Non Verbo solo semper, sed etiam tactu mortuo excitabat, ut ostenderet corpus quoque suum vivificare posse.

Explica.  
1470

Respondeo, Cyrillus ibi solum vult dicere quod fide tenemus, Carnem Christi propter unionem cum Verbo, esse vivificantem, id est, posse dare vitam æternam anime & corpori immortalitatem. Vide c. 24. & 25. vbi id apertissimum erit. Planè autem alienum est Cyrrillum explicare de obedientiali potentia, quæ etiam sit in Sanctis, inquit in quauis creatura, iuxta ipsos.

Humanitas  
ducitur  
instrumentum  
Verbi.

Præterea obiecunt quosdā Patres, qui Humanitatem Christi vocant Instrumentum seu organum diuinitatis. Respondeo, dici *Instrumentum*, quia Verbum utitur naturā humānā ad aliquid præsum actioni diuinitatis, scilicet ad applicandam diuinā virtutem illi insidente: quod idē facit, ut ostendat se esse Deum verum pariter & verum hominem; ut aperte docent Patres. Vide Athanasium serm. 4. cōtra Arianos, vbi fusē hanc causam prosequitur, & clare docet actionem humanitatis nullam vim immediatē in miraculum habuisse, sed solum diuinitatem. Idem docet Damascenus lib. 3. De fide cap. 19.

14  
4. Obiectio  
ex D. Tho.

Obiectur Quartō, Ex D. Thoma, qui sēpē docet humanitatem Christi fusisse instrumentū diuinitatis per modum efficientiæ. Respondeo, D. Thomam posse intelligi modo suprā dicto. Nam 1. p. q. 45. 2. 5. aperte docet actionem instrumenti esse præsum actioni principialis agentis, & distinctam ab illa; quod illi negant; vnde etiam fatentur se recedere à D. Thoma. Addē, D. Thomam infra docere *Pascham*, *Mortem*, & *Resurrectionem*, operari salutem nostram per modum efficientiæ; quod certe non potest intelligi de efficientia reali & physica, nisi velimus cum quibusdam Thomistis dicere, posse rem præteritam, quæ nunc non est, assumi ut instrumentum physicum. Nec satisfacit, quod quidam ait, D. Thomam, per *Pascham*, & *Mortem*, intelligere humanitatem passam & mortuam, quæ semper manet: quia D. Thomas aperte contrarium insinuat, agens de morte; cūm ait: *Mortem, etiam si priuatio sit, tamen ratione diuinitatis, hanc vim habere.*

5. Obiectio  
ab actione  
ignis infer-

natilis.

Respondeo Primō, Credibile est ignē inferni habere naturā suā vim inchoatam, ratione cuius possit diuinitus elevari ad efficiendum aliquid in spiritibus, vnde causet dolor: nam naturaliter agit in animas corpori unitas: quare dubitandum

nō videtur, quin possit diuinitus agere in separatis. Videas. Vel certe, Deus imprimis illi vim aliquā inchoatam, quæ vterius elevari potest. Vlteriō, ignis non agit, nisi ratione virtutis diuinæ in ipso existens; quæ se exerit ad præsentiam ignis vel hoc ipso, quo aliquis ad eum est damnatus. Certè D. Thomas 1. p. q. 64. a. 4. & plerique Doctores abrogant igni actionem propriam.

Obiectur Sextō, Altera sententia magis pertinet ad dignitatē humanitatis Christi, & Sacra[m]entorum: ergo, cūm non videatur implicare contradictionem, est tenenda.

Respondeo Primo, Plerique Doctores censem implicare contradictionem. Secundō, Non semper id est ponendum, quod ad maiorem dignitatem

quouis modo pertinet; sed quod naturis terrena, & doctrina Patrum, magis est consentaneum. Ob

quam causam, etiam censemus Angelos non habuisse gratiā & gloriā ex Christi merito. Tertiō, Tota illa ratio causandi, quam ponit altera sententia, nihil reale constituit in instrumento: vnde solum moralē quandam dignitatem illi cōfert. At nos, non minorem tribuimus, dum ponimus voluntatē Christi causam effectiū, & ex auctoritate applicantem diuinam virtutē: carnem autem, causam instrumentalem, quæ vim diuinam substancialiter unitam, applicet formaliter. Vnde etiam patet, humanitatem, non dici proprię causam moralē dumtaxat; nam causa moralis nullam in se plus quam causam materialis mirabiliter, ex alterius arbitrio, pendente.

### ARTICVLVS III.

#### *Utrum Anima Christi habuerit Omnipotentiam respectu proprii corporis?*

Respondetur; Per proprię virtutem non habuit omnipotentiam in proprium corpus, sed ut instrumentum Verbi, seu per virtutem diuinam ipsi vitam.

Notandum est Primō, Animā suā virtute creaturā naturali, vel supernaturali, non potuisse corpus in proprio locis; vel simul penetratiū cum alio corpore; nec mutare figuram, aut proprij corporis naturalem constitutionem; quia nec Beati haec posunt virtute creatā.

Notandum Secundō, Ipsam potuisse mouere corpus suū, eo modo, quo Beati poterunt mouere corpora graui. Vnde poterat ambulare super aquas; quia non erat imbecillior Beatis. Vtrum autem potuerit vi suā intrinsecā reddere se invisiabilem, aut impeditre ne vllā relazderetur, nec doles sentiret; dubiu[m] est. Puto tamen non potuisse sensum doloris impedire vi intrinsecā, nā corpus erat passibile. Certum tamen est, ipsam, hæc & alia potuisse circa corpus suum virtute Diuinitatis; cuius usus erat in ipsius potestate.

### ARTICVLVS IV.

#### *Utrum Anima Christi habuerit Omnipotentiam respectu exercutionis sua voluntatis?*

Respondetur; Primō, Quidquid voluit tamquam per se adimplendum, potuit pro-

Hab. ij. priā vir-

### 88 Quæst. 14. De defectibus Corporis à Christo assumptis. Art. 1. 2. 3.

priā virtute vel naturali vel supernaturali. Secundò, Quidquid voluit, tamquam diuinā virtute adimplendum, potuit ut instrumentum Verbi, siue potuit per eandem virtutem sibi unitam, & per se applicatam. Ratio est, Quia non decet ipsius Sapientiam, ut aliquid velit, quod non possit. Sed est

#### D V B I V M.

*An voluntate absolutā, Anima Christi aliquid voluerit ut implendum per alios, quod tamen non sit executioni mandatum?*

19  
Ratio ducit  
bitandi.

Caiet.  
negat.

Absoluta  
Christi  
voluntas  
semper  
fuisse effi-  
cax.

Ratio dubitandi est, Quia Marci 7. v. 24. dicitur quod ingressus domū, nemine voluit servire; & tamen non potuit latere. Ex quo loco probat Agatho Papa in epist. ad VI. Synodū in Christo fuisse humanam voluntatem; quia quod voluit, non implebatur; cùm tamē diuina voluntas semper impleatur. Et confirmatur; Quia Christus vollebat homines conuersti, saluari, non peccare &c: quod tamen in multis nō fiebat. Ob has rationes Caietanus admittit Animam Christi aliquid absolutā voluntate voluisse per alios implendum, quod tamen non est effectum.

Sed longè verius est contrarium. Quod probatur Primo, Nam voluntas humana Christi, erat voluntas Personæ diuina: ergo omnino decebat ut semper fieret, quod absolutè vellet. Absurdum enim est, ut id quod Deus at solutè vult, non fiat. Secundo, Christus euidenter videbat, an ēset futurum: ergo si certò videbat opus non futurum, valde imprudenter illud absolutè voluisse: imo

impossibile erat absoluē velle, nisi respectu quorundam medianorum adhibendorum. Qued enim tertò scitur non futurum, censetur tamquam impossibile. Vnde etiam nō mo prudens ad hoc conatur. Tertiò, Si Christus aliud vellet absoluē ut homo, aliud ut Deus, esset in ipso contrarictus voluntatum, multò magis quam sit in nobis. Quartò, Voluntas absoluta impletur in omnibus Beatis, nihil enim absolutè volunt quod non fiat; ut communiter Doctores: aliqui possent contrariari. Ergo multò magis in Christo. Quinto, Christi Anima nihil poterat absoluē velle, nisi quod ei aliquo modo erat possibile, vel virtute propriā vel diuinā: ergo id semper fiebat.

Ad Argumentum in contrarium; dicendū est, Christum non voluisse omnino absolutè latere, id est, per omnem potentiam, quam adhibere poterat; sed absolutè quodā modo; id est, secundū omnem potentiam quam industria humana poterat adhibere. His enim omnibus adhibitis, quæ humana industria p̄f̄st̄ poterat ad latendum, non potuit occultari. Colligitur autē inde in Christo fuisse voluntatem humanam: quia tribuitur ei quod aliquid voluerit aliquā voluntate, adhibendo omnem potentiam propriam illius voluntatis, & non potuerit. Quod c̄ voluntate diuinā nullo modo potest dici: quia quidquid h̄c vult adhibendo omnem potentiam sibi propriam, id sit. Ad Confirmationem: Christus non volebat absolutā voluntate, ut homines conuerterentur, non peccarent: &c. sed conditionatā, & per modum operantis.

ad ratio-  
nem dubia  
tandi.

## Q V A E S T I O X I V .

### De defectibus Corporis à Christo assumptis.

*In Quatuor Articulos diuisa.*

#### ARTICVLVS I.

*Vtrum Filius Dei in natura  
humana assumpserit defe-  
ctus Corporis?*

Vult con-  
veniens.

R Esonderetur: Conveniens fuit ut Filius Dei assumeret defectus Corporis. Primo, Propter finem Incarnationis, venit enim in mundum ut pro nobis satisfaceret: satisfactio autem fit per opera penitentia. Ergo Corpus ipsius debebat esse capax peccarum. Rursus, Satisfactio pro altero, requirit ut penas peccato alterius debitas, in te suscipias: atqui defectus corporis, ut fames, siti, fatigatio, mors, sunt penae peccati originalis: ergo Christus debebat hos defectus in se suscipere. Secundo, Ad ostendendum se esse verum hominem. Tertiò, Ad præbendum exemplum Patientiæ. Vide D. Thomam.

Notandum est in Responsione Ad primū, ubi dicitur, *Satisfactionem non esse efficacem, nisi ex charitate procedat:* id intelligendum esse secundū legem ordinariam; ut patet ex supra dictis.

#### ARTICVLVS II.

*Vtrum Christus assumpserit nece-  
ssitatem subiacendi his defectibus?*

R Esonderetur: Christus non coactionis necessitate his defectibus subiacuit; atque adeo nec absoluta necessitate: sed tantum cā necessitate, qua prouenit ratione materiæ seu corporis. Ratio est, Quia Christus voluntariè hos defectus assumpit: si enim voluisset, facile potuisset eos impidere virtute suā diuinā, quā pro arbitrio vtebatur. Corpus tamen Christi tale erat, ut ipsum per se & solitariè consideratum, necessariò his defectibus subiaceret, qui nullis naturæ viribus poterant impidi.

#### ARTICVLVS III.

*Vtrum Christus contraxerit  
hos defectus?*

R Esonderetur: Non contraxit; sed voluntariè hos defectus corporis suscepit. Ratio est, quia huiusmodi defectus non contrahuntur nisi ex peccato. Ad Rom. 5. v. 12. Ferunt hominem in contraria voluntariè, ex peccatum mōs, assumpit. Aduerteret,